Polona
DECIMARVM
PRO
Patribus Soc: IESV &
alijs Regularibus.

CONTRA
Libellum à R. Ioanne
Marcheuicio euul-
gatum.

Consultatio.

ROMÆ, Ex Typographia Reu: Cam: Apost: 1647.

Superiorum permissu.

Polona Decimarum.

Reu. Pater Alias à Sacra Congregatione Concilij emanauit Decretum tenoris infrascripti. §. 1.
In causa Decimarum Regni Poloniæ die 17. Iunij 1645. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum iterum atq; iterum auditis Regularibus,& præcipuè Patribus Societatis Iesv eorumq; Iuribus & Priuilegijs maturè discussis censuit ab eisdem Patribus, & alijs Regularibus soluendas esse Parochis, & alijs Beneficiatis Regni Poloniæ, Decimas quæ soluebantur à Laicis, priusquam bona in ipsorum Patrum, & aliorum Regularium proprietatem fuerint translata firmis tamen remanentibus transactionibus de super factis, quod Decretum emanauit præuia exhibitione facta ab ipsis Patribus, cui etiam Decreto posteà consenserunt prout & agens Cleri Regni Poloniæ: die verò 31. Iulij 1645. Sanctiss. D. N. Eminentiss. D. Cardinali Præfecto referente in Consistorio approbauit.

Super quo à Patre aduersa fuit obtenta confirmatio per litteras Sanctiss. D. N. in forma solita die 21. Februarij 1646. & super omnibus euulgata est Interpretatio cum diuersis declarationibus, ampliationibus, & extensionibus nomine Io: Marchievvicz in libello Cracouiæ impresso de anno præsenti 2647. §. 2.

Sed quia eius est interpretari, cuius est condere leges *l. fin: C. de Legibus*, ibi leges interpretari solo dignum imperio esse §. 3. oportet, vndè superbiæ notantur contrarium facientes, ibi quis tantæ superbiæ fastidio tumidus est &c. *& cap. inter de senten. excommun. ibi, Vt igitur*, Vndè eius prodijt Interpretatio quoque procedat, maximè cum tangatur materia Priuilegiorum Sedis Apostolicæ, quæ à sola ipsa Sede interpretantur *ad dext: in c. cum venisset de Iudicijs.* Ideò ne huiusmodi Mar-

chieuiski interpretatio negotium maius faciat, & de litibus lites oriantur, ac lites fiant immortales, materia eſt amputanda *l properandum C. de Iudicijs*, & alites, ac interpretationes ſunt potius reſtringendæ quàm relaxandæ *c. nonnulli vbi glos. ver.* lites reſtringendæ de Reſcriptis pro parte Patrum Societatis, ac aliorum Regularium inſtari debet apud Illuſtriſſimum D. Nuncium dictarum litterarum executorem, vt ad earumdem litterarum executionem procedat, procedique mandet, & iubeat iuxta, & ſecundum earumdem litterarum tenorem, & formam, nullo habito reſpectu ad interpretationem, & extenſionem Marchieuiski. Quod ſi Illuſtriſſimus ipſe Nuncius aliquam ſuper his difficultatem haberet, ſuper hoc ſupplicandus eſt, vt Sacram conſulat Congregationem, & ne præfatus Marchieuiski liber negotium faciat in præſentibus ponitur origo interpretationis Marchieuiski, & illius ampliatio, & extenſio, & ex illius confutatione apparebit vera Decimarum Clero conceſſarum ſpecificatio, ex qua quidem ſpecificatione præcludetur via imposterum litigandi *glos in c. conquerente ver. ſpecificares de offic: Iud: Ordin:*

§. 4 Orta fuit in partibus differentia inter Collegium Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Societatis Ieſu Cracouien: & Parochum loci Golambiæ ſuper iure Decimandi bona ad Collegium præfatum ſpectantia ex perſona P. Alberti Menczynski Societatis Ieſu, quæ quidem differentia coram Laicis ab Aduerſario agebatur à quibus etiam idem Pater, licet Regularis fuit ob non prætenſam ſolutionem de more Regni Bannitus, ſed Deus Omnipotens, qui ſua prouidentia malum in bonum conuertit, vt Dionifius ait *cap: 4. par: 4. in fine de diu: nom:* hoc Bannimentum in gloriam illius Patris conuertit, Patria namque cedens ad miſſiones in Indias deſtinari curauit, & ibi in odium fidei de anno 1643. Nangazachi in fouea capite verſo ſuſpenſus, & poſt ſeptem dies decapitatus, & combuſtus eius cineres in mari deiectæ fuerunt die 23. Martij.

Deuo-

Deuoluta autem hæc causa ad Sacram Rotam coram R. P. D. Cerro præcedentibus duabus decisionibus per sententiam difinitiuam ad fauorem Patrum fuit conclusa, subsequutis etiam executorialibus in vim illius, & rei iudicatæ legitimè relaxatis, vt ex ipsis decisionibus sententia, & exequutoralibus, quæ dari possunt apparet.

Aduersarius iustitiam Causæ non curabat, sed tantum bonum Ius Patrum tergiuersari studebat, & dilationes procurabat; Vndè Rotam licet sæpè citatus informare noluit, sed causa iam completa curauit libellum contra resolutiones Rotales à Ioanne Marchieuiski euulgari, qui quidem quantum valeat suo tempore apparebit, nec enim Patres, aut eorum Aduocati cursim iura sua componunt, & euulgant, vt fecit Aduersarius, qui in itinere equitando suum dicit cōposuisse libellū.

Interim occasione Synody Prouincialis cuius confirmationem Clerus Poloniæ à Sanctiss. D. N. & Sacra Congregatione Concilij exposcebat nacta est quæstio Decimarum in ipsa Sacra Congregatione; in Synodo enim erat Decretum tenoris sequentis videlicet. § 5.

Decimas de suis Bonis Ecclesiasticis Regulares, & Mendicantes tam de antiquitus possessis, quam de recens acquisitis, & imposterum acquirendis, quibus debentur soluere, ac reddere tenentur ordinat Synodus sub pœnis in Statuto Prouinciæ lib. 5. cap. 20. & in Constitutione Gęmbiciana tit. de Decimis specificatis. §. 6.

Et nihilominùs Inter Constitutiones Regni Poloniæ, quæ publicatæ fuerunt in Comitijs Generalibus de Anno 1635. inter §. 7. alias vna reperitur tenoris sequentis, Vt sopiatur differentia, quæ inter ordinem Equestrem, & Ecclesiasticos de Decimis ex bonis nobilium intercedit, si quidem in omnibus Diæcesibus non potest statui Generalis compositio propter inæqualitatem fundorum, & agrorum habito expresso Sanctæ Sedis Apostolicæ consensu statuimus, vt quilibet ipsorum in sua Diæcesi

(in qua Decimæ soluuntur) Compositiones de consensu Rectorum factas, & faciendas iuxta antiquos contractus, & quietationes approbet temporibus perpetuis, & si quis Ecclesiasticorum noluerit componere obligabitur Loci ordinarius ad instantiam cuiusuis nobilis assumptis duobus de suo Capitulo nobili genere natis componere talem differentiam in quotam pecuniariam, & non obstante refragatione Ecclesiastici terminare.

§. 8. Sacra verò Congregatio interuenientibus Religiosis cum suis Priuilegijs noluit omninò confirmare Decretum Synodi, prout sonabat, & nihilominùs, quia Patres pro bono pacis, & ad tollendas aduersariorum obiurgationes quasi per ipsorum non solutionem desolarentur Ecclesiæ Parochiales dabant manus pro solutione ad formam antiquorum contractuum, & quietationum iuxta Constitutionem Regni supra expressam, ideò obligauit Regulares ad soluendum Decimas, eo modo quo soluebantur à Sæcularibus antequam bona peruenirent ad Regulares vt vidimus in Decreto §. 1. & hoc sine præiudicio transactionum desuper factarum, quas transactiones non solum Patres non negârunt, sed immò voluntariè produxerunt, & solutioni in terminis earum consenserunt, vt patet ex vltima parte dicti Decreti eodem §.

§. 9. His sic stantibus idem Ioannes Marchieuiskus secundum libellum pro Interpretatione Decreti Sacræ Congregationis euulgauit, cui præposuit titulum talem.

Decima Cleri Sæcularis in Iudicio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Concilij Tridentini Interpretum contra exemptiones Patrum Societatis Romæ vindicata, tandē in Regno Poloniæ per Ioannem Marchieuicz I. V. D &c. antea defensa, nunc ad effectum executionis debitæ accommodata.

§. 10. In ipso autem libello num: 1. & 2. ponit exemptionem Patrum fuisse olim à Summis Pontificibus Priuilegiatam, & à Sacra Rota canonizatam, sed Sanctissimum D. N. mediantibus rationibus ipsius Marchieuiski, Iterum in Sacra Congregatione

propo-

proposuisse negotium; & ad fauorem Cleri fuisse decisum exindè vsq; ad numerum 13. ponit tenorem Breuis; n. 14. cum duobus sequentibus asserit Decretum Congregationis legem esse, & ideò executioni demandandam, in n. 17. promouet dubitationem, an ad præterita reuocetur, & à num: 18. vsque ad 22. respondet non solum esse pro futuris, sed etiam ad præterita trahi. n. 23. excitat aliam dubitationem, an litteræ exequutoriales Sacræ Rotæ in causa Cracouien. Decimarum de Golambia relaxatæ sint timendæ, & à num 24. vsq; ad 27. respondet non esse timendas, sed hoc Decreto fuisse reuocatas, in num. 38. excitat tertiam difficultatem, an ex quo Sacra Congregatio iussit Regulares soluere Decimas ad formam solutionum, quas antea faciebant laici. Si laici non extradebant manipulares teneantur, nec ne Regulares, & à n. 39. vsque ad num: 42 respondet Regulares teneri non solum ad ea, quæ soluebant laici, sed etiam ad manipulares, licet à laicis non extraderentur, in num: 43. excitat vltimam difficultatem, an ex quo Sacra Congregatio præseruat Concordias illæ concordiæ seruari debeant, & à num. 44. vsq; ad 58. respondet non esse seruandas, quia de Iure non subsistunt, & in tribus vltimis numeris concludit vnumquemque pro executione ad Ordinarium proprium recurrere debere, & de victoria causæ triumphat.

Quantum valeat hic libellus apparebit post confutationem Prioris, cæterum in præsenti breuiter dico ex Decreto Sacræ Congregationis, aut litteris Apostolicis desuper emanatis non posse colligi illas Conclusiones, quas vti indubitatas Marchieuiskus supponit, & licet multæ sint, eas tamen Nos ad senarium vti perfectum numerum reducemus. §. II.

Sit igitur prima Conclusio Decretum Sacræ Congregationis non abrogauit Priuilegia Patrum Societatis, aut aliorum Regularium, circa exemptionem, quam habent à Decimis, nec præiudicauit resolutionibus Rotalibus desuper factis, vt supponit Aduersarius *num.* 2. sed in partibus tantum ibi expressis illis derogauit.

Nota

§.13. Nota est enim differentia inter abrogationem & derogationē *ex l. derogatur ff. de verb. signific.* quia derogare est parti legis detrahere, abrogare autem est totam legem prorsus tollere. Nos fatemur Priuilegijs Patrum, & Regularium ex parte fuisse derogatum, nempè in eo, quod obligantur ad soluendum id quod ante soluebant laici, & id ad quod concordatum est cum Rectoribus, vt Decretum sonat: negamus tamen ex hoc abrogata esse eorum Priuilegia, quia de cætero remanserunt exempti, & vigore eorumdem Priuilegiorum non possunt cogi ad soluendum quicquam præter quam, id est quod se per concordias obligârunt, vel vbi non sunt concordiæ, id quod soluebant laici antequam ad ipsos Regulares bona peruenirent.

§.14. Et hoc iure merito, quia leges ex duplici capite abrogati possunt, vel per similem legislatoris legem, vel per consuetudinem, seu desuetudinem generalem *ad tex. in l. de quibus in fine ff. de legibus*, & neutro modo in casu nostro abrogata sunt Priuilegia Patrum.

§.15. Non quidem primo modo, quia nec Sacra Congregatio, nec Sanctissimus hanc abrogationem in præfatis litteris, aut Decreto nominauit, aut cogitauit, non obstant derogationes in Breui appositæ, quia vulgare, ac tritum est, derogationes semper restringi ad subiectam materiam quia non sunt ad augendum, sed ad exequendum *ad text. in Clem. 1. in fin* de Præbendis, & Breue ipsum restringitur ad Decretum Congregationis, quod confirmat: confirmatio enim nihil dat, sed datū, ac concessum corroborat & non extenditur, sed tanquam accessorium intra limites sui principalis restringitur ad *tex. in cap. Inter dilectos ver. finem, vbi gloss. verb. confirmari & ver. nec accessorium de fide Instrumenti*, Ac in ipso Breui cauetur. Salua semper auctoritate Congregationis, &c.

§.16. Nec etiam obstat, quod in Decreto Sacræ Congregationis fiat mentio Priuilegiorum Societatis, quia exinde non potest inferri, quod sint abrogata, sed tantum, quod sint in aliqua parte mode-

moderata, & eis in ijs, quæ ibi exprimuntur derogatum; imò subsistunt Priuilegia de non soluendis Decimis quæ non soluebantur ab Antecessoribus laicis: alias simpliciter Decretū fuisset, Priuilegia Patribus non suffragari, sed cogendos esse ad soluendum illis, non obstantibus, & non fuisset desideratus consensus Patrum ante relationem factam Sanctissimo: ex hoc enim Decretum processit potiùs per modum transactionis, quàm per modum legis, vt in puncto secundo dicemus, & Priuilegia Patrum Societatis habent clausulas tales, vt eis sine expressa derogatione simpliciter derogatum non intelligatur: sed in hoc non vrgemus, quia notissimam habemus Sacræ Congregationis intentionem, quæ nunquam de hac Priuilegiorum abrogatione cogitauit, vt diximus.

Nec etiam secundo modo potuerunt abrogari Priuilegia Societatis hoc est per vniuersalem consuetudinem, vel dissuetudinem, quia licet populus possit abrogare legem in terminis *gloss. l. de quibus causis vers. abrogentur ff. de legibus* non potest tamen in terminis Constitutionum Apostolicarum ad tradita per *gloss. in cap: in istis §. leges verbo abrogatæ*, quia cum eius sit abrogare cuius est condere leges, licet populi consensus leges aliquas Ciuiles possit constituere secus tamen est in sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificijs in quibus tota potestas residet in Pontifice excitata *gloss. quæ pro simili adducit l. 1. ff. de Constit: Principium*. § 17.

Sed omnis euacuatur difficultas in casu nostro, quia non solum non adest consuetudo contraria Priuilegijs Patrum, sed totum oppositum adest consuetudo generalis, & vniuersalissima pro ipsis Priuilegijs, vt apparet ex resolutionibus Rotalibus ab ipso Aduersario concessis, & sic firmatur per Decretum Sacræ Congregationis, & beneplacitum Apostolicum non fuisse euacuata, & abrogata Priuilegia Patrum, sed tantum illis in ibi expressis derogatum.

Secunda Conclusio Decretum Sacræ Congregationis, & Breue Sanctissimi non emanauit per modum legis vniuersalis, § 18.

 quæ

quæ trahi poſſit ad præterita contra aſſertiones aduerſarij in Reſponſione ad primam dubitationem.

§19. Hoc colligitur ex neceſſaria conſequentia ad definitionem Priuilegij, quod quidem dicitur Ius ſingulare à Principe ob vtilitatem aliquam introductum *l. Ius ſingularem ff. de legibus*, & talia ſunt Priuilegia Patrum illis à Summis Pontificibus conceſſa ob maximam vtilitatem, quam Eccleſiæ Dei afferunt ſuo Inſtituto, vt patet ex tenore eorumdem Priuilegiorum. Igitur ſi Priuilegia ſunt leges particulares, quomodo quęſo moderatio alicuius partis horum Priuilegiorum erit lex vniuerſalis?

§20. Præterea Decretum iſtud non proceſſit, nec per modum legis vniuerſalis nec per modũ legis perticularis, ſed potiùs per modum Concordiæ, & tranſactionis de conſenſu partium quia emanauit Decretum præuia exhibitione facta à Patribus de Concordijs iam initis, & licet Decretum Sacræ Congregationis præceſſerit conſenſum; illius tamen confirmatio ante conſenſum non eſt obtenta vt ex ipſo Decreto apparet, & tamen Decreta Congregationum in cauſis reuocationis Priuilegiorum & alijs ſimilibus ad ſolum Papam ſpectantibus ante approbationem Pontificis non ſolent afficere. Vndè talia Decreta concipiuntur per verbum cenſuit, & ſubinelligitur ſemper, ſi ita Sanctiſſimo placuerit, vt in ſimili declarauit Vrbanus VIII. in nouiſsimis Decretis Sacræ Congregationis Rituum fol. 61.

§21. Non obſtat reſponſio ab aduerſario allata *num: 18. ad l. ſeptimam C. de legibus*, nempè Decretum Cengregationis trahi ad præterita ſi negocia pendentia ſint cuius generis (inquit aduerſarius) cauſam Plebani loci Golambiæ, & omnes alias eſſe nemo dubitat, quia Cauſa Golambiæ cum iam definita ſit per ſententiam, & rem iudicatam, & per exequutoriales à Sacra Rota relaxatas, non poteſt dici perdere, *gloſſ: in cap: præſenti ver. pendente de officio & poteſtate Iud: de l. in 6.* Vndè Decretum Sacræ Congregationis non comprehendit Cauſam Golambiæ niſi interminis ipſius Decreti hoc eſt Patres teneri ad ſoluendum ipſi Parocho, quod ante ſoluebant laici, & ſeruandam

eſſe

esse Concordiam à Fratre Patris Alberti ipsius nomine factam.

Sed inquit Aduersarium *num: 20.* factam esse in Decreto §22.
mentionem de transactionibus & ordinatum, vt soluantur Decimæ eo modo quo soluebantur per laicos &c. ex quo colligit quod Decretum respicit ad præterita: quia hæc omnia præterita sunt. Respondetur concedendo totum iuxta formam dicti Decreti: quia confirmatæ sunt transactiones præteritæ, ergò de illis ampliùs dubitari non potest, id est de illis, quæ pendentes sunt, non de illa Golambiæ quæ iam legitimè rescissa est & de qua non habetur ratio, cum non sit facta ad formam solutionis, quæ fiebat per Laicos, sed debet haberi ratio ad transactionem factã à Patre Menczinski per suum fratrẽ, vt diximus, quæ cum alijs transactionibus S. Congregationi fuit exhibita. Vnde in his terminis non inficiamus Decretũ ad præterita trahi.

Vrget Aduersarius *ex glos: & cap: fin. de constitutionibus*, §23.
vbi quod Constitutiones trahuntur ad præteritum, quando Papa statuit quid iuris naturalis, vel diuini, sed Decimæ sunt de Iure diuino ergò quando Papa quid statuit circa illas illud Decretum trahitur ad præterita, Respondetur ex hoc argumento sequeretur quod Papa non potuisset Regularibus Decimas concedere, seu ipsos à decimis eximere, & quod ipsi hac exemptione vtentes, culpam & peccatum contraxissent, & totum Ius Canonicum subuerteretur.

Vndè scire debet Aduersarius, quod Decimæ sunt quidem de Iure diuino *capit: Parochianus de Decimis cum m[illegible]ltis similibus*, sed nihilominùs quoad personas, quæ soluere debent, & quibus solui oportet statur determinationi Ecclesiæ: soluitur enim Decima personis Ecclesiasticis ob eorum labores iuxta illud qui Altari seruit de Alteri viuere debet *cap: ex his 12. q. 1.* Vnde eius Decimandi nullo modo laicis potest concedi *c. peruenit 1. q. 3.* fructus tamen decimales etiam ipsis laicis concedi possunt vt *not: gloss: in cit: c. peruenerit ver: Laicalibus*, licet igitur Decima sit de Iure diuino; quoad personas tamen quibus, & à quibus Decima soluitur dispositioni subiacet S. Apostol.

Habemus exemplum in matrimonio iuxta *gloſſ: §. 1. Inſtit: de Iure nat: &c. verſ: matrimonium*, quod eſt de Iure naturæ, quoad originem eſt etiam de Iure Diuino, quoad prohibitionem linearum aſcenden: & deſcenden: ac *Collateral in primo gradu cap: literas §. opinioni, & ibi gloſſ: verſ: diuina lege de reſtit: ſpoliat.* eſt de Iure gentium, quia ab ipſo receptum, & nihilominus quoad formam verborum, ſolemnitates, quæ adhibentur & perſonas Canonico ſubijcitur Iuri & ex hoc clandeſtina prohibentur & irritantur matrimonia, declarando perſonas non eſſe legitimas, ſed in habiles ad matrimoniũ contrahend i vt patet *in Conc: Trid: Seſſ: 24 cap: 1. de reformat: matr m.*

Ita in propoſito licet Decima ſit de Iure naturæ ſeu diuino abſolutè loquendo, quia Decimæ Deo ſolui dicuntur *cap: Decimas Deo 16. q. 7.* nihilominus poteſt Papa determinare quæ ſint perſonæ habiles, & idoneæ quibus, vel à quibus Decimæ ſoluantur, vt in caſu noſtro cum determinat Religioſos poſſe Decimas recipere licet Parochi non ſint, nec curam habeant animarum, quippè: qui munera obeunt Parochorum, & in Vinea Domini proCura laborant animarũ,& ſic licitè illis Decimæ poſſunt concedi, vt conceduntur Parochis, & licitè à ſolutione earum poſſunt abſolui vt abſoluuntur Parochi.

§ 25. Ex quo vlterius ſequitur quod ſi exempti poſteà ad ſolutionem cogantur, vel quia ceſſauit ratio exemptionis, vel quia exemptio cœpit nimis eſſe damnoſa in terminis *cap. ſuggeſtum*, de Decimis, tunc non retrotrahitur illa obligatio, quaſi non licuerit ante à ſolutione ceſſare ob præceptum diuinum de Decimis ſoluendis,ſed ſimpliciter exempti coguntur à die moderationis ſoluere, & in hoc ſenſu debet intelligi gloſſa ab Aduerſario allegata *in cap. fin.* de Conſtitutionibus iuxta eandem *gloſſ. in cap. cum tu verſ. ſiuè poſt de vſuris*, ſe declarantem, ibi enim dicit vſuras reddi etiam ante illam Conſtitutionem acceptas, quia vſura eſt crimen etiam ante illam conſtitutionem Iure diuino prohibitum: ex quo infertur, ſed exemptio Regularium non erat ante Decretum Sacræ Congregationis prohibita, ſed imò

per

per summos Pontifices concessa, ergò Decretum exemptioni derogans ad præterita retrotrahi non debet.

Non obstat Decretum irritans in Breui Sanctissimi apposi- §. 6.
tum, quia vt iam diximus Decreta irritantia ad principalem semper reducuntur dispositionem, & ipsum Breue confirmatorium ad subiectam Decreti materiam restringitur. Vnde concluditur Breue Sanctissimi, & Decretum Sacræ Congregationis, non extendi ad præterita in ipsis non expressa, & maximè ad præterita non pendentia, sed iam definita.

Tertia Conclusio, Decretum Sacræ Congregationis, & Bre- § 27.
ue Sanctissimi non derogârunt sententiæ, & executorialibus Rotalibus in causâ Decimarum de Golambia; Vnde executoriales, & censuræ in illis appositę sunt in suo robore excepto in Decimis, vel ex conuentione laicali, vel quæ soluebantur à Patribus iuxtà formam eiusdem Decreti ex rationibus in secunda Conclusione deductis contrà id, quod Aduersarius adstruere nititur in eius responsione ad secundam dubitationē *n. 24. & seq.*

Nec subsistit eius suppositio in *num*: 25 nempè Decretū Rotæ § 28.
se habere prout se habet sententia nulla Iudicijs inferioris à qua appellatum est ad superiorem: quia sententia Rotalis, & Decretū Sacræ Congregationis nullum habent inter se dependentiam, aut correspectiuitatem: sententia enim Rotalis suos habuit effectus per rem iudicatam, & exequutoriales, nec potest ampliùs dici habere pendentiam, vt supra diximus, & Decretum Congregationis originē habuit à Synodo Prouinciali non à causa Golambiæ; vt vidimus supra, nec libellus primo loco ab Aduersario euulgatus vim habent appellationis, quia transiuit in iudicatum, & data est executioni, ne sopita negotia iterum apperiantur non datur appelatio *l. fin: C. de fid: Instrum:* & quatenus daretur inter decē dies erat appellandū *cap: Anteriorem* 2. *q.* 6. & hæc non per libellum euulgatum, sed per legitimam comparitionē, vel alias seruato iuridico ordine debebat interponi. secus enim appellans reputatur pro non appellante *cap:* 1. *de appellationibus in* 6. & Causa non deuoluitur *Vant: de nullit: tit: quoties, & intra quod num:* 50. & quatenùs interposita fuisset debebant admitti, sed non fuit admissa nec erat admittenda, vti lata contra contumacē absentem legitimè citatum *ad frad: per Grat: §. si vero is qui appellauit, vers: sunt etiam quoque post cap: ei*

qui 2. q. 6. & faciunt adducta *à gloss: cap: liceat in fine eadem* & quatenùs admissa fuisset, debebat prima sententia per secundam reuocari *ad trad: per eumdem Grat: §. fin: vers: fin: eadem 2. q. 6.*

§ 29. Nec officit, quod Priuilegia Societatis fuerint in Rota canonizata, & in Decreto Cõgregationis moderata, & similiter, quod Concordia Golambiæ fuerit in Rota annullata, & in Decreto Cõgregationis fuerint Concordiæ præseruatæ: ex quo infert aduersarius, quod propterea Decretum Congregationis est reuocatorium sententiæ Rotalis, quia Respondetur, quòd Priuilegia non fuerunt per Congregationem abrogata, sed in parte tantum illis derogatum fuit, vt diximus. Vndè in cæteris partibus remanserunt in suo robore: similiter Concordiæ fuerunt præseruatæ illæ scilicet, quæ à Patribus S. Congregationi fuerunt exhibitæ, non illa quæ à Sacra Rota fuerat rescissa; vnde absolutè Aduersarius non est sustinendus, dum censuras &c. in executorialibus contentas abstruere nititur non esse timendas.

§ 30. Quarta Conclusio Decretum Sacræ Congregationis & Breue Apostol. cum non obligat Regulares ad soluendum Decimam manipularem, quam non extradebant laici antequam Terræ ad manus peruenirent Regularium contra extensionem quam facit Aduersarius *num. 39. & seqq.* alias sequeretur quod Regulares essent peioris conditionis quàm sæculares, & Priuilegia eorum in ipsorum detrimentum retorquerentur contra doctrinam communiter receptam, quod prouisum ad concordiam non debet vergere ad noxam *gloss. fin. in c. suggestum de appellat.*

§ 31. Nec facit quicquam rescriptum S. Congregationis de nouo ab Aduersario adductum, quia si aduersarij ex illo rescripto habuissent plùs, aut idem, quod consequuti sunt postea per vltimũ Decretum frustra laborassent pro ipso vltimo adipiscendo, & illud primum in Sacra Rota pro causa Golambiæ produxissent: Vnde ibi Sacra Congregatio nihil aliud Episcopo Cracouiens. respondit quàm prædia cum eorũ onere ad regulares transire, quod certissimum, & verissimum est, nisi ipsi Regulares particularem haberent exemptionem etiam realem, prout habent Cistercienses, & Societas: in omnem euentum non grauat Regulares, nisi ad id quod soluebant prius laici, vt facit Decretum vltimum, & quatenùs huiusmodi rescriptum, quod est simplex responsio ad literas vnius particularis non citata parte, & non est authenticũ, nec integrum, nec datam habet, nec quid, quod fidem faciat, quatenùs in quam

in quam vltra vltimum Decretum contineret aliquid, illud intelligitur correctum ex vltimo Decreto ser. ser. & per modū Concordiæ, vt diximus emanato, vndè concludendum est, quod Decretum Sacræ Congregationis debet intelligi, prout sonat, & Regulares non teneatur illius vigore, nisi ad id quod soluebant laici, nec quicquam faciunt clausulæ amplissimæ in Breui appositæ, quia vt diximus sunt pro executione Decreti Sacræ Congregationis, non pro illius ampliatione.

Quinta Conclusio per Decretum Sacræ Congregationis, & per Breue confirmatoriū fuerunt præseruatæ Concordiæ, & transactiones inter Parochos, & regulares initiæ, & saltem illæ quæ à Patribus fuerunt exhibitæ, à Sede Apostolica intelliguntur confirmatæ, quia super hoc præcisè emanauit resolutio, & intentio Congregationis contra ea, quæ aduersarius adducit *num.* 24. *& seqq.* dicere enim transactiones non potuisse fieri sine consensu Apostolico, & ideò non posse intelligi confirmatas, &c. est destruere totum Decretum Congregationis, quia sensus illius fuit huiusmodi transactiones confirmare, conualidare, & executioni demandare, vt patet ex illa particula Saluis, &c. & per exhibitionem earum facta & per consensu post exhibitionem ab agente præstitū, quę omnia si reducerentur ad ius commune, frustra laboratum esset, pro Decreto, & pro confirmatione, &c. § 32.

Nec obstat, quod Patres obtinuerint per Sacram Rotam declarari nullam transactionem à Prouinciali Polonię cum Parocho Golambiæ solemniter initam, quia fuerunt multæ causæ illius nullitatis in decisionibus adductæ, & maximè prouenientes ex defectu ipsius Parochi, vt in eisdem decisionibus apparet, quæ non militant in alijs concordijs, & illa concordia non fuit exhibita Sacræ Congregationi pro illius confirmatione cum alijs, sed benè concordia inita cum fratre Germano P. Menczinski, & est argumentum valdè nouum, Rota annulauit vnam concordiam, ergò Congregatio annulauit omnes, quia Decretum Congregationis, & decisiones Rotæ non fuerunt subordinatæ, nec connexæ, aut dependentes, vt vidimus, & concordia Golambiæ fuit producta in Rota, vt annullaretur, transactiones autem fuerunt productæ in Congregatione, vt confirmarentur; Vndè sicuti annulante Rota vnam, cæteræ non fuerunt annullatæ, sic approbante Congregatione exhibitas, non approbauit iam annullatas. § 33.

Sexta Conclusio exequutores litterarum Apostolicarum su- § 34.

per

per tali Decreto emanatarum non ſunt loci ordinarij, ſed Nuncius Apoſtolicus, quia cum ipſe Nuntius Apoſtolicus in ipſis litteris ſit ſingulariter datus ibi. Quocirca dilecto filio noſtro, &c. per illius incluſionem excluduntur alij ex regula communi, incluſio vnius eſt excluſio alterius *l. cum prætor quæ eſt in terminis ff. de Iudicijs*, & tantò magis, quod ipſi Ordinarij ſunt partes, & nemo debet eſſe ſimul Iudex, & pars *l. vnica C. Ne quis in cauſa ſua, &c.*

§. 35. Pro parte igitur Regularium debet deponi ad fauorem Parochorum, id, quod anteà ſoluebant Laici, vel id quod vigore tranſactionum antiquarum debent Patres, & inſtari coram Nuntio Apoſtolico pro executione Decreti Sacræ Congregationis, & litterarum Sanctiſſimi, prout ſonant, & iuxta quod probatum eſt ſuperius: quod ſi aduerſarij inſtarent pro interpretatione dicti Decreti, & litterarum iuxta interpretationes Marchieuiski debent noſtri eorum conatui legitimè ſe opponere, & inſtare in contrarium, Illuſtriſ: enim Nuntius pro ſua prudentia, & pietate dubio procul declarabit huiuſmodi Decretum, non abrogaſſe Priuilegia Patrū, Non retrotrahi ad præterita, Non annullaſſe ſententias Rotales, Non obligaſſe Regulares ad ſoluendum eas Decimas, quas non ſoluebant laici antequam bona ad Regulares peruenirent, confirmaſſe tranſactiones cum Parochis antiquitus initas, & illius exequutionem ordinarijs non demandaſſe, mittigaſſe Priuilegia Regularium in eo ſolum, quod obligauit eos ad ſoluendum id, quod ſoluebant laici, & ad ſeruandum concordias cum Parochis anteà factas, nec in vim illius cogi debere Regulares ad ſoluen. quicquam de præteritis, ſed teneri tantum ad ſoluendum poſt Decretū, & quatenùs opus ſit ordinarijs inhibebit ne procedant. Quod ſi Illuſtriſs: D. Nuntius aliquam haberet difficultatem eam Sacræ Congregationi indicabit, ipſe enim cum merus ſit exequutor, iudicij partes aſſumere non poteſt ad textum *in l. ſi vt proprius C. de exequutore*, & ſi tandem aliquod decerneret Illuſtriſs. D. Nuntius contra formam reſcripti Sacræ Congregationis appellan. eſt ad Sanctiſſimum, & petendus eſt recurſus ad eamdem Sacram Congregationem, quæ proprium Decretum ſuſtinebit, & grauaminibus illatis remedia opportuna adhibebit.

Quare, &c.

Ioannes Naldus.